

an dispari pondere magnitudo. Semper enim corpora eadem qua B D gravitate praedita sumi poterunt, vel ab eo quod infinitum est, quamlibet magna parte detrahenda, vel ei adiicienda. Ergo ex iis quae dicta sunt, perspicuum est, infiniti corporis finitum pondus esse non posse. Immensum igitur erit. Quod si fieri non potest, illud etiam fieri non potest, ut sit ullum corpus immensum. Ex his vero intelligi potest, fieri non posse, ut vlla immensa & interminata sit gravitas. Si enim tanta haec gravitas per tam longam lineam hoc tempore mouetur, tanta & eo amplius minore tempore mouebitur: quamque inter se proportionem pondera habent, eandem etiam tempora vicissim habebunt. ut si simplum pondus hoc tempore, duplum in simplo illius. Praeterea definitum pondus omne definitum spacium certo quodam tempore conficit. Ex quibus necessario efficitur, si quod sit immensum interminatūque pondus, id motu cieri oportere qua ex parte tantum est, quantum id quod finitum est, ac eo amplius: & non moueri porro hoc ipso quod proportione quidem, ut ita dicam, excessuū res moueri debent, ita ut contra maior magnitudo breuiore tempore. Atqui infinita res cum finita nullam nec proportionem habet, nec comparationem: & tempus cum maiore certo ac definito illud quidem habet, sed in minore semper. Minimum autem ac breuissimum tempus nullum est: nec si esset, vlllo modo adiuuaret. Alia enim aliqua constituta fuisset magnitudo finita eadem proportione, quam infinitum cum altero maiore habuisset. Pari igitur eodemque tempore quo finita magnitudo, immensa idem spacium conficiet, quod fieri non potest. At necesse est, si in quanto libet tempore, dummodo definitum sit, quod infinitū est moueatur, aliud etiam hoc ipso tempore finitum pondus motu cieri. Non igitur gravitas itēque leuitas infinita, & interminata esse vlllo modo potest. Ac immensum quidem corpus non esse perspicui potest, si qui hoc modo rem ex rationibus quae ad partem accommodantur, exquisierint, & in vniuerso genere cōsiderauerint, non solum ex iis rationibus, quas in libris de Principiis rerum exposuimus (explicatum est enim etiam ibi vniuerse prius de infinitate, quatenus s.c., & quatenus non sit) verum etiam nunc alio modo. Sequitur deinceps ut videamus, si minus infinitum corpus sit vniuersum, an tantum certē sit, ut plures sint caeli. De eo enim for-
tasse